



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ars Bonæ Mortis. Sive: Quotidiana Erga Sanctissimam Dei Matrem Mariam Pietas

Ad omnia quidem utilis. Ad felicem tamen mortem obtinendam utilissima

Hevenesi, Gábor

Coloniæ Agrippinæ, 1709

XXVI. Decembris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50916](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50916)

vestitu virum & monachū induit; post triennium in Abbatem electa, in tentationibus Dei param in auxilium vocatam sensit auxiliatricem, criminis falsò accusata statum prodidit, quo intellecto Pater ejus & Mater conversi, & martyrio affecti sunt. *Mayr.* Virtus, non non sexus virum facit.

S. Eugenia ora pro me Deiparam, ut per gaudii illius memoriam, quod in admirabili Filii sui unigeniti partu concepit, sit mihi causa lætitiæ, & gratiam largiatur, ne in peccato obstinatus perseverem, sed per ejus, quem peperit, Salvatoris gratiam, post hanc vitam cœlo renascar. O Sanctissima DEI &c. *fol. 190.*

Ad quod impetrandum: triplici sacro legendo vel audiendo colam Virginem ante partum, in partu & postpartum.

Tu debilitatis meæ potentia, nuditatis meæ tegumentum, mendicitatis meæ divitiæ, insanabilium vulnerum medicina, lachrymarum mearum absterfio. *S. Germ. or. de pres. B. V.*

Quæstio: Quid B. Virgo elegisset, si optio data fuisset, ut aut originali peccato scdaretur, aut Dei Mater non esset? *v. Suar. 10. 2. n. 3. p. disp. 3. sect. 5.*

XXVI. DECEMBRIS.

S. Stephanus Levita, Prothomartyr, plenus gratiâ & Spiritu Sancto, cui dulces fuerunt pro Christo lapides; ab Apostolis constitutus erat, ut fidelibus, quorum omnia erant communia, necessaria ad victum & vestitum sub-

ministraret. Quod idem ille Deiparæ summa cum pietate ac reverentia præstitit. *Beda. Præstat nunc id omnibus Maria.*

S. Stephane gloriose Christi pugil ora pro me Deiparam Alumnam tuam, ut ego unus ex iis esse merear, quorum illa tutelam gerit; habeat illa vitæ meæ necessariorum nunc ita curam, ut salutaris animæ meæ esca mihi morienti non desit in viaticum æternitatis. O Sanctissima Dei, &c. *fol. 190.*

Ad quod impetrandum: pro Deiparæ inimicis convertendis orabo.

Ave gratiâ plena, quæ supercœlestis lætitiæ vas es, nam per te dispensatur gaudium universæ creaturæ, genusq; humanum antiquam humanitatē recuperat. *S. Greg. Thau. l. 2. de Ann.*

Quæstio: Cur Christus non nisi ex Virgine nasci voluerit? *v. Barrad.*

XXVII. DECEMBERIS.

S. Joannes Evangelista, Theologus, Apostolus, Propheta, Virgo, & super hæc omnia discipulus, quem diligebat Jesus æquè ac Maria; semper quidem Deiparam plurimum venerabatur, sed longè id egit impensius, ubi testamento Christi ejus filius factus, ei per omnem reliquam vitam œconomus, custos, sacellanus, filiali semper amore servivit. *Laur. Mase.* Hæc tua quoque Mater erit, si Joannes sis.

S. Joannes dilecte Jesu & Mariæ discipule, meas quæso nunc apud Deiparam partes age, dic: Ecce Mater, adest unus fratrum meorum,
filius